



EXCLUSION DEL «BONUM PROLIS»

Sacra Romana Rota

CORAM

Gerardo M. Rogers

PONENTE

Melbournen

Nullitatis
Matrimonii

SENTENTIA DEFINITIVA

(OMISSIS)

FACTI SPECIES

1. Guillelmus, catholicus, et Edna, sectae calvinisticae addicta, ratione operae quam communiter impendebant, inter se cognoverunt, atque mox consuetudinem amatoriam instauraverunt, quamvis universa adiuncta monerent vix fieri posse ut matrimoniale consortium felix evaderet. Iam enim a primo occurso iuvenes agnoverunt inter se profundam exstare ob diversos proprios coetus religiosos divisionem eamque insuperabilem esse. Quae dissensio iuxta placita propriae confessionis religiosae respiciebat educationem fillorum ex futuro matrimonio forte nasciturum. At, cum post quinquennium relationis sponsalitia discidium nequiverit componi, maluerunt iuvenes, ita fertur, proli quam nuptiis caledicere, pactum scilicet ineundo excludendae omnis prolis, ne pax connubialis damnum pateretur.

Hisce igitur sub omnibus, praevia dispensatione, contractum est matrimonium (canonicum), cui subsequuta est, eodem die, caeremonia nuptialis in Ecclesia Scotica eiusdem civitatis, cui praeerat, ut pastor mulieris pater.

Vita communis, nulla prole recreata, ad duodecim annos producta est, quibusdam quidem litibus turbata, sed coeterum sat pacifica, usque dum vir deprehendit mulierem adulteram esse. Tunc hic impetravit divortium civile, dein, duodecim post annis libellum porrexit Tribunali Melbournensi, quo matrimonium accusavit nullitatis ex capite exclusionis boni prolis ex parte mulieris.

Causa, quatenus fieri poterat, rite instructa, idem Tribunal edixit non constare de matrimonii nullitate. Actore pro suo iure ad S. Sedem appellante, Sup. Sac. Cong. Scti Officii causam iudicandam N.S.T. transmisit, ideoque in altero iurisdictionis gradu respondendum est dubio rite concordato: **An constet de nullitate matrimonii, in casu.**

IN IURE

2. Constat matrimonium nullum esse si utraque vel alterutra pars per actum positivum voluntatis excluderit prolem, neque interest, nisi forte in linea probationis, quibus mediis intenderit quis uti ad hunc primum propositum assequendum. At ut exclusio prolis irritet consensum, requiritur ut voluntas feratur in prolem in suis principiis consideratam, seu qua finem primum contractus (cfr. can. 1013, par. 1); ideoque minime sufficit ut quis intenderit matrimonio abuti cum vaga quadam spe fore ut proles nunquam conciperetur. E contra necesse est ut actus voluntatis, qua prolis excluditur, sit absolutus, pervicax atque pro toto matrimonialis vitae tempore depromptus.

3. Cum autem nemo cordatus huiusmodi firmissimum voluntatis actum, qui ipsam naturam humanam laedit, nisi ob causam gravissimam depromat, quaerendum imprimis erit num haec existat. Neque statim et absque profunda indagazione iudex acceptet rationes quas forte quis proferat ad suum assumptum roborandum: constare debet cum certitudine morali motivum in casu nupturientem quasi cogisse ad onus filiorum evitandum.

Verumtamen inter causas quae gravissimae recensentur, sunt diversitas et dissensio religiosa, quae efficere possunt ut proposita contra prolem facile concipiantur, dummodo eiusmodi sint naturae quae nullo modo superari possint. Praejudicia enim religiosa aliquando fortiora sunt quibuscumque rationibus, eosque qui sectam acriter studeant ad gesta inconsiderata movere possunt.

4. Ad debitam certitudinem moralem assequendam prudens iudex prae oculis habeat omnia causae adiuncta, eaque cum aequitate perpendet quin recurat ad quoddam calculum mathematicum. Quibus adiunctis probe consideratis, valebit idem iudex praesumptionem efformare et quidem vehementem de veritate vel secus partis vel partium assumpti. «Et qui id negare praesumpserit, eo ipso negat possibilitatem cuiuscumque fere probationis in iudicio, nam absque efformatione praesumptionum, praecipue vehementium, iudex non amplius valet ius dicere» (sent. coram Wynen, diei 23 maii 1941, Dec. S.R.R. vol. XXXIII, p. 445).

IN FACTO

5. Guillelmus, catholicus, et Edna acatholica, univoce affirmant se ante nuptias consilium invisisse excludendae prolis in perpetuum, eo quod neuter alteri voluerit concedere ut soboles forte nascitura in religione alterius educaretur. Quod actor sic refert: «Io ero adamantino che se ci fossero stati figli dovevano essere allevati cattolicamente ed essa era egualmente determinata che essi non sarebbero stati allevati cattolicamente... Fu essa a suggerire il matrimonio. A questo suggerimento lo posi la domanda riguardo ai figli, se ossi, qualora ci fossero stati, sarebbero stati allevati cattolicamente. Essa non volle acconsentire affatto a questo. Una delle ragioni per cui acconsentii a sposarla fu l'accordo di non aver figli» (7/17); dum mulier fatetur: «Io dicevo che non potevo avere mai figli cattolici e lui diceva che non avrei mai potuto avere alcunché di diverso. Convenimmo che non ci sarebbero stati figli». (13/8).

6. Ideo causa exclusionis prolis reponitur in mutuo odio religionis compartis, quin pressius in illa inimicitia singulari qua acatholici sectae calvinisticae a catholicis separantur. Id optime illustrat mulier conventa, ubi dicit: «Io ero determinata che se ci fossero stati figli non sarebbero stati cattolici. Se avessi sporato qualcuno che apparteneva alla Chiesa d'Inghilterra forse avrei preferito che i figli fossero presbiteriani ma avrei permesso che fossero anglicani... Io non sono disposta ad avere figli se essi dovranno essere educati cattolicamente...» (13/5, 15/8). Quinimmo Edna candide fatetur se tam acriter Ecclesiam Catholicam odio habuisse, ut maluerit sensus maternos suppressere quam pueros catholicos edere — «Io avevo sempre sperato una famiglia come la spera qualsiasi ragazza, però non da questo matrimonio» (13/5).

7. Iamvero, oculos ferit quod pro partibus in causa huiusmodi dissensio religiosa satis superque explicat cur ipsae voluerint omnem prolem evitare; ipsae enim probe intelligunt quousque passiones religiosas protendere possint.

Cum autem id minus compertum habeant qui ignorant quomodo res se habeant inter catholicos hibernicae stirpis, ex qua oritur actor, et acatholicos, eos praesertim qui doctrinam calvinisticam colant inter quos recensetur mulier conventa, praestat ut de his controversiis amplior fiat sermo.

Siquidem inter dictos catholicos et calvinistas scoticos a saeculis viget odium prorsus singulare, quod initio rationibus doctrinalibus nimum nunc in instinctum quoddam atavicum degeneravit, ita ut mutua et quidem profunda suspicione alii ab aliis separentur. Ex parte quidem Calvinistarum acriores animi sen-

sus nutriuntur, eo quod, etiam hodie, plurimi eorum edocentur Ecclesiam Catholicam noxiam esse, meretricem illam scilicet apocalypticam, catholicosque, haud exclusis eorum sacerdotibus, virtute Sacramenti Poenitentiae, licentia frui peccandi, Neque refert quod quis suam propriam religionem negligat: vividos displicentiae vel odii sensus erga sectatores alienae religionis is servare potest, cum agatur, uti innumus, de praeiudiciis nulli argumento obnoxiiis.

8. Partes vero in causa specimen praebent eximium huiusmodi suspicionis et odii. Vir se proclama 'molto cattolico' nelle mie vedute, quamvis a multis annis, uti videtur, praecepta religionis non observet: mulier erat atque est 'presbiteriana fanatico', filia pastoris Ecclesiae scoticae, seu calvinisticae: vir eoque pervenit ut non permitteret uxori in domo coniugale exhibere imaginem patris pastoris luce impressam: mulier institit pro matrimonio calvinistico post nuptias catholicas celebrando — «prima di tutto per soddisfazione mia personale e poi per accontentare ambedue i miei genitori. Pertanto avemmo due certificati e mio marito fu convocato al riaguardo. Il secondo fue portato via: io avrei preferito molto conservare questo» (12/14).

9. Iamvero, his attentis, manifestum est inter iuvenes huius furfuris evitari non potuisse conflictum de rebus religiosis, et in specie de religione prolis nasciturae. Et ideo quasi a priori uti plus quam verisimilia acceptari possunt quae utraque pars refert de controversiis inter se ortis, et de pactione tandem aliquando inita de prole evitanda.

Pactum significasse absolutam voluntatem excludendi prolem, ambo parte sustinet. Neuter enim post quinque annos conversationis sponsalitiaev valuerat alterius voluntatem superare, et ideo nullam spem retinuit fore ut res aliter verteretur. Mulier conventa declarat: «Io non aveva sperato che mio marito avrebbe cambiato idea... Alla fine dell'amicizia di cinque anni io ero convinta che egli non avrebbe mai cambiato idea, ed accettato ciò. Io sapeva che era vano desiderare che le sue vedute cambiasse» (15/16, 17). Et similiter actor: «Nella mia mente era tanto fortemente fisso quali fossero le sue idee che io non mi abbandonai ad alcuna speranza... Non ci fu mai alcuna discussione riguardo a futura possibilità. Né ci fue alcuna discussione in seguito» (9/24, 25).

10. Thesis partium sustinetur quidem a testibus, magis autem factis et matrimonii adiunctis.

Pauca admodum elementa probativa possunt hauriri ex testimoniis redditis, idque quia partes nullam necessitatem sentierunt comunicandi proposita cum tertiis: agitur enim de personis quae indole cohi-

centur quominus consilia propria palam patefaciant. Id clare exprimit mater conventae: «Noi non ne parliamo a nessuno né prima né dopo. Lui può darsi che ne parlasse con la famiglia, la quale probabilmente gli avrà fatto domande circa i figli, ma io sono riservata e nessuno mi desse nulla. Mia sorella parlai...» (14/11, 17/30).

Et re quidem vera, uti opinatur mulier conventa, vir quaedam dixit sive ante sive statim post nuptias, ad suae familiae anxietates circa prolem futuram placandas. Ita testatur eius soror: «La sera prima dello spozalizio la mamma era agitata per il suo matrimonio con un'acattolica e disse: 'Voi avrete figli protestanti', ma lui disse che non ci sarebbero mai stati figli protestanti». Testis autem, audita hac viri declaratione, intellexit pactum fuisse inter nupturientes de prole evitanda, quia ipsa probe novit conventan esse acatholicam quae nunquam voluisset prolem catholicam gignere. «Noi avemmo sempre la persuasione che Edna non avrebbe avuto figli cattolici... Conoscendo il suo carattere, ritenevamo che essa non avrebbe avuto figli cattolici; però essa non discusse la questione. Essendo essi ambedue tanto decisi nelle loro idee noi ritenevamo che non ci sarebbero stati figli... Essa era una persona molto determinata ed io ritenevo che non avrebbe mai acconsentito ad avere figli cattolici... Ritengo per certo, tuttavia, che ci fu un accordo di non aver figli perché essa era tanto attaccata alla sua fede». (19/14, 18, 19, 20/21).

Idem etiam pro certo habet altera actoris soror, quae cum fratre confabulata est de matrimonio paulo ante inito, deque molestiis quae exinde oriri potuerint. Illa nempe occasione testis accepit a fratre hunc filios acatholicos numquam esse accepturum — «...egli mi disse poco dopo il matrimonio che non avrebbe mai fatto allevare figli da protestanti... mi disse che non ci sarebbero stati figli perché non sorgesse il contrasto religioso... Io ricavai da lui che non ci sarebbero stati figli». (23/16, 22). Et, quod spectat ad mulierem conventam, testis haec eodem modo ac soror, hanc iudicavit irremovibilem in eius adversione erga fidem catholicam, ideoque retinuit eandem ex hoc matrimonio prolem non esse procreaturam. Hic iterum oculos ferit quadam de causa praefatae testes pro re certa habuerint fore ut nulla proles ex hoc matrimonio gigneretur, ubi certiores factae sunt fratrem noluisse puellae voluntati cedere. Ipsae probe sciverunt conventam, qua acatholicam studiosissimam, nunquam suscepturam esse familiam catholicam, ideoque intellexerunt, quin de re ulterior sermo fieret, matrimonium conciliatum fuisse inter iuvenes cum aliqua conventionem de prole evitanda.

11. Porro, in sua confessione iudiciali, mulier conventa indicavit quemdam medicum catholicum, qui deponere valeret de sua invincibili aversione erga prolem suscipiendam. «Nel 1939 il Dott. Riccardo mi parlò in ospedale suggerendo che era ora per me di avere un bambino. Io in seguito scesi giù nelle sue stanze e gli parlai della cosa. Gli feci una esposizione della cosa. Credo di avergli dato l'impressione che la mia decisione era ferma su quella materia» (17/30).

Reapse dictus medicus recolit mulierem, pluries monitam de damno consecuturo nisi intermitteret studium evitandae prolis, recise renuisse eius consilia acceptare, idque, prout idem medicus memoria tenet, quia intercedebant rationes religiosae. «Io le dicevo che i suoi nervi non sarebbero migliorati finché essa non avesse avuto un bambino... Essa disse che non avrebbe avuto bambini. Sono sicuro che avrebbe compreso la mia mente ma io non gliene disse questo». Verum, laudanda sinceritate, Doctor non audet affirmare mulierem dixisse se prolem nolle propter discidia religiosa — chartae enim clinicae non amplius exstant — sed cum confabulati sint de rebus religiosis necnon de odio aviae mulieris in catholicos, licet absque temeritate praesumere conventam nexum indicasse inter controversias religiosas et defectum prolis.

Quidquid autem est de iis quae mulier communicavit, Doctor ipse pro certo habet eandem pervicaciter prolem evitasse: «Non ci fu nessun cambiamento nel suo atteggiamento. Essa ripeteva che non avrebbe avuto figli» (27/28), atque subjungit se idem audivisse ab actore, quocum de re pluries locutus est: «Io le dicevo di portarlo da me. Io lo vidi in numerose occasioni e lui diceva che essa si rifiutava di avere un figlio» (27/26).

12. Nunc autem, quamvis pauca sint elementa probativa, Patres censuerunt exinde satis probari partes voluisse bonum prolis excludere. Enimvero:

a) constat de causa gravissima et perpetua propter quam partes voluerunt prolem absolute excludere, dissensio scilicet acerrima de religione, rationibus historicis suffulta, in ipsis contrahentium animis profunde insita;

b) confessio praesertim partis conventae peculiaris meretur fidem, quatenus haec minime sollicita est de exitu causae, neque ullum incrementum sperat a declaratione nullitatis pronuntiata ab Ecclesia sibi odiosa;

c) eadem mulier tempore prorsus insuspecto declaravit se ita contrariam esse proli procreandae ut mallet nervis laborare quam matrimonio rite uti: in qua voluntate perseveravit usque in finem vitae

communis, adhibitis medicamentis anticonceptionalibus, quamvis nihil praeter odium Ecclesiae Catholicae prohibuerit quominus filios procrearet;

d) vir actor, item tempore non suspecto, certiores fecit sorores se nullam prolem acatholicam, ideoque nullam prorsus prolem procreaturum esse, idque ob illam eandem causam gravissimam quae matrimonium antecessit quaeque per totam periodum vitae matrimonialis vim suam exseruit.

Quae circumstantiae, si simul perpendantur, suadent partium assumptum verum esse, ideoque iure merito concludendum est easdem ante nuptias in decisis habuisse liberos evitare ne futura felicitas in discrimen poneretur.

13. Neque obiicias contra naturam esse quod mulier elegerit matrimonium sub huiusmodi conditionibus contrahendum, id est, sine prole, cum matrimonii gaudia facile potuerit obtinere contrahendo cum acatholico. Haec enim mulier, uti ex ipsius confessione eruitur, per matrimonium quaeavit potius vitam commodiorem quam familiam suscipere et educare. «Non mi passò mai per la mente che ci fosse alcun obbligo di avere rapporti sessuali o figli. Io piuttosto concepivo il matrimonio come un metter su casa insieme» (15/20).

Neque refert quod utraque pars voluerit vel saltem toleraverit prolem, si res aliter cederet. Ad consensum enim invalidandum non requiritur ut prolis in se respuat, cum valor consensus dependeat a voluntate determinata, minime vero generica. Ideo non refert quid pars vel partes fecissent aliis in adiunctis inspiciendum est quid reapse voluerint quoad hoc specificum matrimonium.

14. Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infraescripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, edicimus, pronunciamus et definitive sententiamus, dubio posito respondentibus: **AF-FIRMATIVE, seu constare de nullitate matrimonii, in casu.**

Ita pronunciamus, mandantes Ordinarii locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut hanc Nostram definitivam sententiam executioni tradant, et adversus reluctantes procedant ad tramitem C.J.C. lib. IV, tit. XVII, adhibitibus iis executivis et coercitivis mediis, quae pro rerum adiunctis efficaciora videantur.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 9 novembris 1965.

Gerardus M. ROGERS, Ponens
Ernestus Fiore
Salvator Canals

Marius F. Pompèdda, Notarius.